

Resp. I. In genere (1) hoc argumentandi genus saltem est *secundarium*, non *primarium*, quod ex ipso textu vel alio firmo fundamento elici debet. (2) Patres, alias doctissimi, secuti versionem vulgatam ita legerunt. Neque hoc mirandum est cum ipse *Bellarmin.* lib. 2. de Verbo Dei cap. 10. pag. 39. B. fateatur, *In Concilijs generalibus Ecclesie paucissimos aut interdum nullos inveniri lingue Hebr. peritos.* Doleandum itaque est, tum temporis studia linguarum Orientalium non ita floruisse, sicuti hodiè (Deo sit laus) subindè incrementa capiunt, (3) non omnes veteres Pontificiorum opinioni assurgere, patet non solum ex præmissa quorundam Veterum Enumeratione sed etiam ex ipsius *Cornelij à Lapide* confessione, qui loc. cit. *S. Leonis, Lipomani LXX. & Chald.* Interp. meminit, qui cum nobis Ipse vel Ipsum sensu eodem manente retinent. (4) *Chemnitio* nulla mendacii macula potest aspergi, usus enim est particulâ Universali non *simplici*, sed *accommodâ*, non omnes utpote recentiores Patres, sed puriori antiquitati addictos intelligens.

II. In specie (1) *Chrysostomus* in ἀντιλεγόντων consortium pertrahi nequit, nam *Philippus Montanus* Papista annotante *Jacobo Pammelio* Papista in editione Cypriani Parisiensi ad l. 2. testimon. advers. Jud. n. 51. testatur, Græcum *Chrysostomi* contextum aliter habere. Infringere quidem hoc conatur *Sacroboscus*, verùm rectè urgetur contra eum non solum adversariorum Confessio, sed & exemplarium constantia, quæ allegant *Polanus* in Syntag. Theol. p. 78. c. & *Daniel Chaimerus* Panstrat. Cathol. lib. 14. cap. 10. pag. 213. (2) *Josephi* testimonium (ex lib. 3. cap. 1. ἀρχαιολογίας) à *Cornelio* nō bonâ citatur fide, ad quod aliàs etiam provocat *Petrus Blomevenna* Leidenfis in Comment. Carthusiani in hunc Gen. 1. Non enim ita loquitur: *Præcepit, ut mulier capiti plagas inferret, sicut à Lapide & ille Leidenfis volunt*, sed sic Græca verba habent: Πολέμιον ἀποδείξας αὐτοῖς καὶ ἰπολιθέρῃ κατὰ τῆς κεφαλῆς φέρει τὰς πληγὰς, h. e. *hostem illis designavit, & jussit ipsum plagas dirigere.* Quod hic *Cornelius* ait, hæreticos vocem γυνή sustulisse, non